



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Historia Sabbati ante dominicam Palmarum, ut hodie uocamus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

stinatis ualere miracula) uel solum impias fugare tenebras potuisset, sed cæcus etiam in meridie in tenebris agit. Quod Christi facinus, ut impiorum aduersus eum concilium coegerit, utq; tum furori cedens saluator in Ephrem abierit, in Ioannis historia legere licet.

Iter Christi quando, ut moriatur, redit Hierosolymam.

- Ioh. 11.** Et quamuis dederint mandatū pontifices & pharisæi, ut si quis cognouerit, ubi sit indicet, ut apprehendant eum, non segnius tamen nostræ salutis opus exequitur, & Hierosolymam ultro ad mortem redit, quæ futura erat pro nobis satisfactio & redemptio. Sed uide quantis miraculis uiam exornet. Pergens namq;
- Luce. 17.** per mediam Galilæam & Samariam, decem sanat leprosos, se & crucifigendum & resurrecturum, prædicit, Iacobum & Ioannem increpat ambitionis notatos, Ante urbis Iericho ingressum cæcum illuminat, in
- Luce. 18.** Iericho domui Zachæi salutem facit, egressus duobus
- Luce. 19.** cæcis lumen reddit, tantum potuit ipsa fides in illis
- Math. 20.** qui Christum salutem & mundi lumen à deo missum diuina uirtute credere potuerunt.

Historia Sabbati ante dominicam  
Palmarum, ut hodie uocamus.

**Ioh. 12.** Venit ergo ante sex dies Paschæ, id est, Sabbato

ante dominicam Palmarum, nam feria quinta sequenti  
erat uespera Paschæ, quando edebant agnum, uenit, in  
quam, Bethaniam, & fecerunt ibi ei cenam, & Mar-  
tha ministrabat, Lazarus uero erat unus ex discipu-  
lentibus cum eo. Maria ergo accepit librâ unguenti  
nardi pisticæ preciosæ, & unxit pedes Iesu, & exten-  
dit capillis suis, & domus impleta est ex odore unguen-  
ti, Dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Simonis  
Iscariotes qui erat eum proditurus, Quare hoc unguen-  
tum non uenit trecentis denarijs & datum est  
egenis? Dixit autem hoc non quod pauperes illi curæ es-  
sent, sed quia fur erat ac marsupium habebat, eaque quæ  
mittebantur, portabat, quemadmodum & hodie pseu-  
dopostoli sub specie pietatis omnia ad se rapiunt. Dixit  
ergo Iesus, Sine illam, in die sepulturæ meæ seruauit  
istud, Pauperes enim semper habetis uobiscum, me ue-  
ro non semper habetis.

Cognouit ergo turba multâ ex Iudæis quæ illic esset,  
& uenerunt non propter Iesum tantum, sed ut Laza-  
rum quoque uiderent, quem suscitauerat à mortuis. Con-  
sultabant autem principes sacerdotum, ut & Laza-  
rum interficerent, quia multi propter illum abibant  
ex Iudæis & credebant in Iesum. Venerandi enim  
patres, quemadmodum adhuc uidemus, quos scri-  
ptura uiros sanguinum uocat, uellent una hora si-  
mul Euangelium Christi perditum, & quotquot ipsum